



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*

*(TEMPLUM AB IMMACULATO CORDE BEATAE MARIAE VIRGINIS)** TEMPLUM AB
IMMACULATO CORDE BEATAE MARIAE VIRGINIS ROMAE EXSTANS DIACONIAE

DIGNITATE AUGETUR. De magnitudine munerum suorum conscii, Romani Pontifices, quibus id oneris datum est ut universam christianam Rem publicam sapienti administratione gubernarent, iam inde a primaeva Ecclesiae aetate prudentissimorum virorum consilio uti consueverunt, quibus sane ut commode fruerentur, templa Romae exstantia Sanctorumque memoria nitentia in titulum dabant: ita factum est ut hi viri in Ecclesia principes sua virtute, pietate, fide castissima iisdem sacris aedibus ornamento essent. Cum autem hodie, auctis fere in immensum christianae religionis negotiis, et numerus Patrum Cardinalium sit aequae augendus, nec tamen tituli iisdem attribuendis sint satis, visum est etiam, idque per has Litteras facimus, augustum templum Immaculato Cordi B. M. V. sacrum ad *diaconiae* dignitatem et gradum evehere, datis nempe iuribus et privilegiis quae his templis iure et consuetudine fieri solent. Id enim templum cura et studio summorum Pontificum Benedicti XV, Pii XI, Pii XII excitatum, ac benevolentia Ioannis XXIII in Basilicis Minoribus annumeratum, assiduo Missionariorum labore Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. laetissime floret. Dilectus autem filius sacrae aedis Pastor curet ut has Litteras Nostras ad exitum adducat, inque populi atque cleri notitiam ferat, cum diem festum de praeepto in eodem celebrent. Re vero acta, documenta exaret, quorum sincera exempla ad Sacram Consistorialem Congregationem cito mittat. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res et religiose servantur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri altero.*

IACOBUS A. Card. COPELLO

S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI

S. Congr. Consistorialis a Secretis

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens*Franciscus H. Ferretti, *Protonot. Apost. Decanus*

Ioannes Calleri, *Proton.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 7, pp. 490-491 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana